



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Irene V. M. 5. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

1 April. VITÆ SANCTORVM. 179
oratione primum effervescere, mox collique scere,
denique in cinerem exarescere coegerit felicissi-
mo suppicio amoris extinctos. Tot spoliis Orco
abactis triumphantem mirum non est, si Styx odit,
& spoliare castitatis gemmā contendit, quantum-
vis irrito conatu, quod in Magnæ Matris tutelā es-
set, quæ suo pugili adstitit, & victorem rude do-
navit, in nos quoque exemplum repetitura, si
cum VINCENTIO vincere vellemus. Acta olim fu-
riis mater, ac proli suæ iniqua infantem in multas
partes secuerat: has collectas vir sanctus integri-
tati vitæque restituit, post dæmonem etiam de
morte triumphans, quæ proinde obstruere viam
huic sideri non potuit, quo minus ad cælum an-
no M. CD. XVIII. ferretur. Ex Sur.

Ad evitandas diabolicas pugnas molestias valenter
assurgimus, si necessitatis ultimæ periculum providè
pertractemus: nam si repentinus ille atque terribilis
adventus Christi perpenditur, quid erit in mundo, ubi
mens humana delectetur? S.P.Dam.l.i.epist.19.

S. IRENE V. M. 5. Aprilis.

IRENE S. Anastasiæ famulabatur, conditione,
non item virtutibus Heræ impar. Una cum dua-
bus sororibus ad tribunal rapta est immitis Dulci-
tii, quodque magis timendum fuit, etiam lascivi.
Profuit innocentibus, quod amor in furorem ab-
iit, qui Dulcitium ad dissuaviandas ollas impulit,
quarum fuligine deformatus cæcus amator, bac-
chatusque per urbem populo ludos præbuit. Sed
neque cum denudari virgines mandasset, vestes
corporibus eripi ullâ vi potuere; pugnante pro-
iis, & togas retinente mordicus pudore. Forna-
ce deinde (Babyloniam dixisses) conclusæ IRE-
NÆ

NES sorores, inter flamarum blanditias verius quam tormenta, mortem somni similem, illæsis corporibus, oppetierunt. **Irene** vero ardentes etiam ignes evasit, in lupanar quippe Veneris fornacem per vim intrusa, ab Angelis sub militari habitu latentibus, illibata virginitate, inde educta est, & in montem ablata, extra teli quidem Cupidinis jactum, non æquè tamen furentis adhuc Dulcitii posita; ab hoc enim celeriter inseque, eminus sagittâ transfixa est volens lubensque, & amorem suum Numini saucio pectore testatura, mox in ejus complexum à cælestibus Paronymphis domum, id est Cælum, deducta; anno salutis CCC.IV. Ex *Actis S. Anastasiae*.

Mox ut germinare incepint fœda cogitationes, compunctionis gladio interimat ipsas, qui cordis sui Jesu m cupit habere possessorem; virilem super se adhibeat custodiam, quâ nec seducatur nec alliciatur. S. Laur. Just. de Cast. Conn. c. 33.

S. GUILIELMUS C. 6. Aprilis.

GVILIELMVS domi nobilis, Hugoni Abbatii, apud Parisienses, à parentibus ad omnem pietatem informandus traditus est. Nec abhorribat à disciplinâ pius animus, quâ comite feliciter in literis progressus, facile superabat æmulos, quibus ob morum integritatem fastidio fuerat. Patebat multorum invidiæ, quam ille æquo animo perferens, nihil alienum à virtute patrabat, quæ sedem firmam in pectore ipsius jam fixisset. Dubius quo vitæ genere virtutis studia decurreret, monente tandem severius Odone Abbe, & objecta Christi crucifixi in vitreâ fenestrâ depicti spe-